

aturarum etiam in Verbo est visio entis finiti, ergo ex eo non potest inferri comprehensio entis infiniti, scilicet ipsius essentiæ divinæ, quæ etiam visis omnibus effectibus, in infinitum distat ab illis, et multum restat cognoscendum de ipsa infinitate Dei, in modo, intensione, etc. Tum denique, quia Deus non solum est potens, producere creaturas ad extra, sed etiam Personas ad intra, ergo etiamsi omnes creaturæ quæ sunt effectus analogici videantur, non sequitur quod comprehendatur Deus, quia restant processiones Personarum, quæ sunt in se infinitæ, et ex præcisa cognitione omnium creaturarum, non infertur quod sint comprehensæ, sicut ex eo quod comprehendatur una idea, verbi gratia idea equi, non sequitur quod omnia, quæ in Deo sunt, aut omnes aliæ ideæ comprehendantur.

XXVII. Ad primum respondetur, quod si possent omnia possibilea videri in proprio genere extra Verbum, non sequeretur per se ex tali cognitione eorum comprehensio Dei, ob rationem factam, quia nec sequitur visio Dei, si quidem videntur extra Deum, ergo multo minus comprehensio. Sed tamen conditionalem illam, scilicet quod videantur omnia possibilea extra Verbum censemus impossibilem ex alio capite, videlicet, quia requiritur infinita species, et lumen, quæ unico intuitu repræsentet totum genus entis creati, quod nulli speciei creatæ convenire potest, et ita extra visionem Verbi cognosci non possunt omnia possibilea. Ratio autem est, quia vel omnia possibilea cognoscuntur simul, et unico intuitu, vel successive. Si successive, cum sint infinita, non possunt pertransiri, et exhaustiri etiam per plures cognitiones, nam vel quælibet cognitio attingit finita, vel infinita; si infinita, eadem ratione cognoscere-

tur omnia simul, quia omnia infinita sunt, et si sunt infinites infinita, et quælibet cognitio unum infinitum attingit, non possunt per successionem ista infinita pertransiri, quia sunt infinites infinita, et requiruntur infinitæ successiones in cognitionibus, et sic nunquam poterunt pertransiri. Si autem quælibet cognitio intelligit finita, multo minus poterunt per successionem illa infinita exhaustiri, quia quolibet finito detracto ex infinito cumulo, semper restat infinitum accipiendum, ergo per acceptionem finitorum nunquam potest infinitum pertransiri. Si autem omnia illa infinita possibilea, simul et unico intuitu repræsentantur, requiritur species infinitæ repræsentationis, et similiter lumen infinitæ activitatis, quia unica species existens repræsentaret infinita possibilea, et sic tantam infinitatem haberet in repræsentando, sicut ipsa possibilea habent in intelligibilitate, ut repræsententur. Ponere autem, quod unica entitas speciei continet intelligibiliter totum genus entis creati est ponere, quod talis species quantum ad perfectionem intelligibilitatis non ponitur sub determinato genere entis creati, sed super totum genus illud: nulli autem rei creatæ in particulari potest convenire quod sit supra totum genus entis creati.

XXVIII. Ad consequentiam autem argumenti respondetur, quod casu negato, quod omnia possibilea videntur extra Verbum, non tamen sequeretur comprehensio Dei, quia licet videret totum quod Deus potest producere materialiter, et in se, non tamen in suo principio, et causa, et ut derivatur, et provenit a sua virtute productiva, et ita virtutem ipsam productivam non videt, licet videat rem, quæ est terminus ejus. Si autem virtus productiva non videtur, neque comprehenditur,

XXIX. Ad locum D. Thomæ ex iii contra gentiles respondetur ipsum non docere, quod absolute loquendo possint cognosci omnia possibilea extra Deum, sed solum dicit quod est majus est intelligere divinam substantiam, quam quidquid aliud præter ipsam, quod in se ipso cognosci potest. Ubi non determinat quid possit cognosci in se ipso vel non possit, sed solum respectu eorum, quæ cognosci possunt in se ipsis, quidquid illud sit, dicit majus esse intelligere divinam substantiam, quod verissimum est. Sed inde quomodo infertur, quod omnia possibilea possint cognosci in se ipsis?

XXX. Ad secundum negatur assumptum. Ad primam probationem respondetur esse disparem rationem inter scientiam visionis Dei, et scientiam simplicis intelligentiæ quoad præsens. Nam licet in visione divinæ essentiæ videantur omnia, quæ Deus attingit scientia visionis, non requiritur comprehensio etiam ipsius scientiæ visionis, ut est in Deo, sicut sequitur si comprehendantur omnia possibilea, et attingantur omnia, quæ attinguntur scientia simplicis intelligentiæ, et continentur in potentia Dei. Disparitas stat in hoc, quod ad cognoscendum omnia, quæ Deus cognoscit scientia visionis, non requiritur quod penetret totam intrinsecam virtutem talis scientiæ visionis, sed sufficit videre omnia, quæ Deus attingit scientia visionis præcise ut sunt existentia, sic enim denominantur visa a tali scientia, et dicuntur subesse scientiæ visionis, quia ly visionis solum de nominatur ab objecto ut existenti, hoc autem non est comprehendere attributum Dei secundum id quod est in se, sed secundum quid, et pro illa denominatione ut reddit aliqua objecta existentia præcise, et talis comprehensio secundum quid non repu-

gnat, nec enim quoad omnia comprehenduntur illa objecta, sed solum sufficit videre ea, quæ existunt et præsentia sunt tali scientiæ, ut dicantur cognosci omnia, quæ Deus attingit scientia visionis, quia attinguntur sub ea ratione, et denominatione, qua pertinent ad scientiam visionis in quantum visionis est præcise, non autem requiritur, quod attingantur omnes rationes talium rerum existentium, propter quas Deus vult illas existere. Et secundo, non est necesse quod penetretur tota virtus et efficacia quam scientia visionis habet ex se, licet attingantur omnia ad quæ de facto se applicat, et quæ de facto producit, et vult quod existant, de se enim illa scientia visionis multo plura posset videre, si vellet ea producere, et totam hanc efficaciam Dei ad videndum non comprehendit ille qui videt omnia, quæ Deus nunc de facto attingit scientia visionis, sed solum videt illa, quæ existunt in quantum existunt. Non ergo comprehenditur scientia visionis, quia ad comprehensionem non sufficit videre solum ea, quæ de facto existunt ex vi talis scientiæ, sed totum quod intrinsece competit tali scientiæ, id est, omnis efficacia quam habet ad videndum etiam plura, quam quæ de facto videt, si quidem hæc efficacia et potestas actu ei convenit, et nisi penetretur totaliter non comprehenditur natura illius scientiæ visionis. Et in summa, scientia quæ potest plura continere quam de facto continet (sicut scientia visionis ut visionis plura potest videre, quam nunc videt vel pauciora posset, si Deus tot non vellet producere) non dicitur comprehendi ex eo quod præcise videantur ea quæ de facto videt, et non quæ potest videre.

XXXI. At vero qui videt et penetrat omnia quæ pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ seu om-

nia possibile, non solum attingit res secundum aliquam denominationem, v. g. secundum existentiam seu præsentiam, sed secundum omnes modos et rationes, et secundum omnia quæ procedere possunt a Deo, idque videndo ipsam potentiam Dei, et penetrando in illa hæc omnia, ergo nihil restat amplius videndum de omnipotentia et virtute Dei, et de ejus scientia simplicis intelligentiæ, nec potest crescere ut plura videat, quam quæ de facto videntur, et sic dicitur comprehendere, quia ex omni parte nihil restat cognoscendum, nec ipse Deus amplius potest cognoscere de sua potentia. Qui autem solum cognoscit omnia quæ per scientiam visionis Deus attingit, non videt illa omnia ex omni parte qua videri possunt, sed solum ut existentia sunt, et ut denominantur præsentia ipsi visioni, et sic solum comprehendit ea quantum ad denominationem visionis seu in ratione præsentia, non absolute et simpliciter in se.

XXXII. Ad secundam probationem respondetur, quod visis omnibus possibilibus in Deo non restat aliud cognoscendum in potentia ejus, et consequenter in essentia ejus, licet enim creaturarum tota collectio sit quid finitum in se, tamen est terminus adæquatus omnipotentia Dei, sic terminative est tota potentia Dei, et ita si penetratur in Deo videtur in aliqua ratione formali infinita, scilicet in ipsa Dei potentia secundum omnem participabilitatem suam attingitur, hoc ipso quod omnia possibile in Deo attinguntur. Et si creaturæ ipsæ cognitæ sunt aliquid finitum, medium autem in cuius vi et penetratione videntur est aliquid infinitum non quomodocumque visum, sed resolutum in omnem suam participabilitatem, et omni modo suæ cognoscibilitatis attactum, et sic licet semper a creaturis

ad Deum restet infinita distantia, a Deo tamen cognitio secundum omnia, in quæ potest non datur aliqua distantia ad Deum ipsum. Nec ille qui sic cognoscit omnia in Deo aliquid ei deest in modo intensione cognoscendi, in cognitione enim omnium, ut bene advertit hic Cajetanus articulo octavo idem est cognoscere quot extensive, et quantum intensive. Requiritur enim ad id finitum lumen, et consequenter infinita intensio, licet ut jam supra advertimus non consistat comprehensio formaliter in summa intensione ex parte cognoscentis, sed in summa adæquatione ad objecti cognoscibilitatem.

XXXIII. Ad tertiam probationem respondetur, quod in Deo non potest unum attributum comprehendere, nisi totus Deus comprehendatur, quia aliquid Dei est totus Deus, cum illud aliquid sit ens increatum et actus purus, atque adeo indivisibiliter est omnis perfectio. Attributum autem omnipotentia ut præcise respicit creaturas, et ut constituit Deum creatorem est attributum Dei, non ut constituit Patrem generantem vel spirantem, eo quod solum primo modo est aliquid essentiale et commune omnibus Personis, non secundo modo. Quare si penetrantur omnia possibile in Deo, penetrantur omnia quæ potest tale attributum et omni modo quo potest, quod est attributum illud comprehendere, et hoc sufficit nobis, quia non minus est certum non posse unum attributum comprehendere, quam non posse omnia, quia unum tantum totus Deus est, et ex consequenti etiam potentia generativa et spirativa comprehenditur. Illa autem doctrina quod si aliquid comprehenditur quantum ad unum non quantum ad aliud non est perfecta comprehensio, in Deo non habet locum, ubi comprehenso aliquo Dei, totus de-

bet comprehendere, quia ibi, aliquid totum est, cum ens increatum est: in rebus autem creatis secus potest contingere. Quod vero dicitur de comprehensione unius ideæ, v. g. equi, respondemus, quod si comprehenderetur ipsa entitas ideæ in se, sine dubio totus Deus comprehenderetur. Si vero solum comprehenditur idea quoad connotationem et terminationem ad equum, hoc non est comprehendere ideam, sed equum ideam, tum per respectum ad quem distinguitur illa idea ab idea lapidis; et sic solum comprehenditur id quod pertinet ad distinctionem unius ideæ ab alia, non quod pertinet ad intrinsecam entitatem ideæ, ut est res divina in se.

XXXVIII. Ex dictis sequitur, non esse necessarium si creaturæ videntur in Deo ex vi visionis divinæ essentia, quod aut omnes creaturæ videntur aut nullæ, ita ut manifestata Dei essentia, necesse sit omnes creaturas videri, quia omnes necessariam connexionem cum essentia Dei habent. Hoc inquam non sequitur, ut putant aliqui ex auctoribus oppositis, Vasquez supra citatus, disp. I. et alii quia creaturæ solum sunt in Deo necessario connexæ tamquam effectus in virtute causæ, non ut res Deo affixæ. Non sequitur autem quod manifestata virtute causæ, omnes debeant penetrari, sed juxta modum penetrationis causæ, sequitur effectuum cognitio, quod sæpe docet S. Thomas ut in præsentibus articulo VII et infra, et III contra gent. capit. LV, LVI et VIII de veritate, articulo IV et V et quæst. XX, art. V. Quare necessaria connexio inter aliqua non infert quod necessario uno visio videbitur aliud, nisi connexio illa penetretur, et si plura fuerint connexa, nisi omnia connexio penetretur. Constat autem sæpe a nobis videri aliqua principia non visis omnibus conclusionibus quæ

ex illis deducuntur, quia non penetratur omnis connexio cum conclusionibus.

ARTICULUS V.

Quas creaturas videant beati, et unde diversitas eas videndi proveniat?

I. Supponendum est quod hujus diversitatis aliæ causæ possunt esse intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. Extrinsecæ sunt, ea quæ pertinent ad statum ipsius beati vel ad beatitudinis complementum. Intrinsecæ causæ sunt lumen gloriæ, et unio divinæ essentia in ratione speciei, quæ juxta proportionem luminis plus vel minus se manifestat, et cum eo concurrat ad majorem vel minorem visionem. Et in ipsis creaturis videndis potest esse magna varietas an videantur omnes creaturæ ordinis naturalis et totum universum, an omnia mysteria fidei, an omnia quæ in cælo fiunt, vel quæ in terris reliquerunt, aut etiam quæ de novo fiunt et ad ipsos pertinent.

Dico ergo primo: Causa extrinsecæ, ratione ejus aliquæ creaturæ videntur a beatis potius, quam aliæ loquendo de creaturis existentibus vel futuris est status ipsius beati, quia pertinent ad statum ejus, loquendo vero de possibilibus quæ videntur ex penetratione divinæ essentia, causa videndi diversas creaturas sumitur ex ipsa natura creaturarum, quia quædam sunt de se latentes, quædam manifestiores, et ita quædam majori lumini proportionatæ sunt, quædam minori. Utramque istam causam tetigit S. Thomas quæst. VII de veritate, art. IV ad XII, ubi inquit: « Quod quamvis nulla cognitio creaturæ sit de substantia beatitudinis quasi beatificans, tamen aliquæ creaturæ cognitio pertinet ad beatitudinem, quasi necessaria ad aliquem actum